



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 100. Constantinopolis a Mahomete duplici exercitu cincta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. arcis, quam Sultanus, ut supra memora-
 A C. 1453. vimus, ad Bosphori fauces erigere cæpit,
 perficiendæ studia prohiberet. Verum

Turco-græc.
lib. 1.

'Antonin.
S. 14.

Æn. Sylv.
epist. 155.

Platin. in
Nic. V.

Æn. Sylv.
ut supra.

provido Imperatoris consilio obsistebant
 cives, veriti, ne Mahometis iram sibi ve-
 hementius accerferent; quinimo eo cæ-
 citatis prolapsi sunt, ut ipsimet propugna-
 culo citius conficiendo suam locarent o-
 peram, ac necessaria quæque suppedita-
 rent, stulta virium suarum jactantia per-
 suasi, se hanc molem, si ipsis molesta
 foret, nullo negotio everfuros. Aliorum
 tamen Scriptorum testimonio discimus,
 Græcos suis viribus diffidentes, ad Nico-
 laum Pontificem confugisse, suppetias pe-
 tituros; Papam vero justa indignatione
 in eos concitatum opem negasse. Plati-
 na hanc in rem ita scribit: *Ipsi Pontifici*
in animo fuit, classe, & milite Constantino-
politano juvare; Verum adeo repente urbs
illa capta est, ut vix de mittendo auxilio
cogitare licuerit. Æneas Sylvius classem
 a Venetis, ac Genuensibus, & Catalanis
 instructam fuisse testatur.

§. C.

Constantinopolis a Mahomete duplici
exercitu cincta.

Ann. 1453. A dveniente igitur Vere præsentis anni
 Chalcond. l. 8 millesimi quadringentesimi quinquage-
 gesimi tertii, Mahometes immensas tam
 ex

ex Europa, quam Asia collegit copias, **Sæcul. XV.**
 certus nihil sibi timendum esse a Principibus Christianis, utpote quos undique bellis implicitos noverat. **A.C. 1453.**

Præmisit igitur partem exercitus sui, quo turres omnes, atque munitiones, quæ extra urbem erant, everteret; Ipse vero secunda Augusti die cum gemino, eoque numerosissimo exercitu adveniens nobilissimam hanc urbem terra marique obsedit. Terrestres ipsius copias ad trecenta millia, maritimas vero, collecta tota classe ad centum & amplius triremes, ac naves minores centum triginta ascendisse ferunt. Duplici itaque exercitu urbs cincta est, cujus ambitus tum ad tredecim milliaria protendebatur, gemino validissimorum mœnium circuitu, fossisque profundissimis munitus. *Chalcondyl.*
 Tentabant primo Turcæ urbem terra expugnare; hinc diu noctuque omni armorum genere, ac continuato tormentorum impetu muros concutere aggrediebantur, ad omnem strenue gerendæ rei dexteritatem intenti. Nec segnius Cives Turcarum impetus retundere nitebantur, ex ea urbis parte, quæ mare respiciebat, ab hostili furore hucusque securi, eoquod catena ferrea eximie longitudinis ad sinus angustias extensa portum occluderet, indeque Turcarum classem arceret, ac præterea intra catenæ ambitum aliquæ essent armatæ

Sæcul. XV. tæ naves, quæ hostium incursum pro-
 A. C. 1453. hiberent.

§. CI.

*Turcarum naves terrestri itinere
 adductæ.*

Phranz.

l. 5. c. 10.

Chalcon. l. 8.

Ubi autem alia, quæ priori longe vali-
 dior erat, Turcarum classis advene-
 rat, stupendum facinus Turcæ moliti
 sunt, ut referunt Scriptores; rem enim
 non nostra, sed aliena fide describimus.
 Fertur, quod Turcæ diversas adhibendo
 Machinas in elevatum terræ locum se-
 ptuaginta naves adduxissent, easque per
 declivia in portum tanta solertia devol-
 vissent, ut intra unius noctis angustias oc-
 to millium passuum iter conficerent, ipsis
 etiam stupentibus Græcis, ac de rebus
 suis tum maxime desperare incipientibus,
 cum mox pontem a Turcis constructum
 viderent, ex quo tormentis urbs quate-
 retur.

§. CII.

*Exiguus urbem propugnantium
 numerus.*

Sic urbe omni ex parte cincta, Impera-
 tor milites suos in plures copias ad
 eam propugnandam distribuere compul-
 sus est. Phranzes, in hac obsidione re-
 rum gestarum testis, memoriæ proditum
 relinquit,